



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

39 Beneficia vniformia in vna Ecclesia sunt incompatibilia, non autem difformia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

in iure antiquo, cap. referente, & ca. præterea, de præben-
dæ etiam nouo Concil. Trident. sess. 7. c. 4. de refor. & sess.
24. cap. 17. de refor. regulariter ipso iure vacare non cen-
setur; præteritum cum pœna ipso iure non incuratur, nisi in
casibus a iure expressis gl. in c. vit. de iur. patro. Concilium
autem id expresse non dicit, & per tacitos intellectus iuris
correctio fieri non debet, gloss. in cap. cupientes, §. quod si
per viginti, de elect. in 6. immo Concilium in illo capite
quarto solum loquitur expresse de curatis incompatibili-
bus; & sine correctione iurium antiquorum intelligi com-
modè potest de Dignitate, & Personatu non curatis, ca. de
multa, de præben. & de simplicibus, & vniformibus eius-
dem ecclesiæ, c. literas, de concess. præb. & cle. si. eo. tit. Nec
vllam vacationem nouam ipso iure addere; sed veterem
confirmare Concilium voluit, & disponere quod benefi-
cia incompatibilia, quæ per vetus ius vacabant, etiam per
illud nouum ipso iure vacent.

DECISIO XXXIX.

Ex consil. 1. alias 5.

Duo beneficia simplicia obtinens in eadem ecclesia pa-
rochiali, pro quorum vno tenetur celebrare duas
Missas in mense in vno altari, & vnam pro alio in alio al-
tari, dummodo vnum non sufficiat ad honestam sustentationem
habentis, incompatibilia non sunt, c. gratia, de rescr. in
6. cle. gratia, tit. eo. Pan. in c. ex tirpanda, num. 33. de
præb. Quamuis enim duobus beneficiis simplicibus vniformia,
vt duæ præbendæ, vel duæ canonice sub eodem testo in-
compatibilia sunt, c. literas, de concess. præb. de si. de præb.
diffinita tamen, & dissimilia, vt sunt prædictæ Capella-
niæ & altaria, (cum habeant diuersa munera & onera, v-
num siquidem est in vno loco, & alterum in alio situm, &
vnum habet vnum onus, & alterum aliud) compatibilia
sunt, c. cum te, de rescr. c. olim, de re iudic. & c. 1. de consue.
in 6. quandoquidem ea beneficia vniformia sunt, quæ ad
vnum & idem officium sunt instituta.

DECISIO XL.

Ex consil. 36. alias 22.

Thesaurarius alicuius ecclesiæ, de alijs duabus Capel-
lanijs eiusdem ecclesiæ prouisus, quas alij Thesaurarij
ex consuetudine immemoriali tenere solebant, neque
illis neque Thesauraria est ipso iure priuata, si illa non sit
sufficiens ad honestam eius sustentationem; eo quod con-
suetudo rationalis, & legitime præscripta vim privile-
gij, & legis habet, c. si. de consuetu. & pluralitas beneficiorum,
non sint curata, vel Dignitates, vel Personatus, aut of-
ficia, c. de multa, de præb. aut beneficia vniformia, c. literas
de concess. præben. non est illicita ei, qui non habet vnum
beneficium sufficiens ad viuendum decenter; alioquin se-
cus, Gl. in c. dudum. 2. de elect. Trid. sess. 24. c. 17. de ref. vnde
consequenter Thesaurarius talis dictas capellanas, &
Thesaurariam tenere potest; modo Thesauraria ad decen-
tem eius sustentationem non sufficiat.

DECISIO XLI.

Ex consil. 37. alias 20.

Parochus, cui parochia tenuis viginti quatuor ducato-
rum non sufficit ad decenter viuendum duas Capel-
lanias tenues cum Episcopi dispensatione retinere potest,
nec aliquam propterea censuram incurrit; potestque Epi-
scopus capellanas prædictas beneficio curato vnire, c. si.
cut vnire, de excess. præl. ex Conc. Trid. sess. 27. c. 8. de refor.

DECISIO XLII.

Ex consil. 38. deest in Nouis.

Icet dispositio loquens generaliter, regulariter etiam
minimum includat, c. si proponente, de rescrip. & c. 2.
de appel. fallit tamen quando ratio, quæ in magno mili-
tat, non militat etiam in minimo, c. Et si quaestiones, de si-
mon. vnde qui legi & dispositioni tempus duodecim an-
norum pro dignitate aliqua consequenda statuenti, bona fide
de accedente superiori auctoritate contraueniret, non est
peccati mortalis condemnandus, nec defectus minimus,
qualis est viginti circiter dierum, respectu temporis ma-

gni duodecim annorum est attendendus, cum parum, &
nihil æquiparentur. Bald. in Auth. præterea, cap. vnde vir,
& vxor.

DECISIO XLIII.

Ex consil. 39. deest in Nouis.

Redulitas, & probatio iusta, quod alicui beneficio
quadraginta annis per substitutos & vicarios serui-
tum sit, absentem a residentia personali in vtroque foro
excusat; quia verisimilia iuste credi possunt, cum contra-
ria non probantur, c. quia non est verisimile, de præsump.
& ad canonicam præscriptionem quadraginta anni suffi-
ciunt, c. de quarta, de præscr.

DECISIO XLIV.

Ex consil. 40. deest in Nouis.

Beneficiarius a sententia iniusta priuationis appellas
si secuto compromisso possessionem continuauerit,
in foro conscientie beneficium diuinitate non tene-
tur, & fructus eiusdem perceptos, & percipiendos tuta cō-
scientia retinere potest, modo ius bonum in illo beneficio
habere se credat; eo quod sententia priuationis per appel-
lationem suspenditur, DD. in rub. de appel. & l. 1. ff. eod. &
ita illa non obstante beneficiarius cum suo titulo, & pos-
sessione remanet, donec per aliam sententiam iustam spo-
liatur; iniusta vero sententia in conscientia non obligat, ex
Inn. in c. quia plerique, de immu. eccl. nec tempus appella-
tionis curante compromisso currit.

DECISIO XLV.

Ex consil. 41. alias 2. de parochijs.

Mulieris habitus domiciliu in vna parochia, & pa-
trientis in alia, vbi causa recreationis, belli, pestis, vel
alterius impedimenti habitabat ad aliquod tempus, ani-
mo reuertendi ad suum domiciliu cessante impedi-
mento, filius in illa parochia, vbi illa domiciliu habuit, natus
censetur ita vt in ea beneficium sibi debitum habere pos-
sit, Glo. in l. tale pactum, §. fin. ff. de pact. Bartol. & Bald. in
l. huiusmodi, §. legatum, ff. de leg. 1. sicut & parochianus
alicuius ecclesiæ intra parochiam suam mori iudicatur, li-
cet moriatur extra illam, vbi aliqua de causa prædictarum
manebat, cum animo reuertendi ad illam, sine voluntate
domiciliu mutandi, c. is qui, de sepul. in 6.

DECISIO XLVI.

Ex consil. 42. alias 30.

Possessio triennialis beneficij cum titulo colorato bo-
na fide, sine simonia, & violentia acceptum in vtro-
que foro titulum verum, & beneficium suum facit,
etiã si titulus non fuerit Canonicus, glo. antiqua Guil. de
Monte Ferato in reg. 33. cancell. Rebu. de pacif. possess.
amplia. 3.

DECISIO XLVII.

Irregularis vna de causa obtinens beneficium, & postea
factus irregularis alia de causa, impetrans commissio-
nem a Papa ad quandam, vt dispensaret super prima ir-
regularitate, cum retentione beneficij, & commissarius ha-
bens auctoritatem dispensandi super secunda, dispensat
cum illo super illa secunda, auctoritate quam habet, sine
illa commissione, & a prima virtute commissionis, cum
retentione beneficij; nihilominus beneficium illud in ire-
gularitate obtentum retinere non potest; cum commissio
Pape de dispensando super retentione dicti beneficij sub-
reptitia sit, eo quod tacita fuit alia irregularitas, qua ex-
pressa non fuisset tam facile facta commissio de benefi-
cio retinendo, & proinde nulla fuit; vnde nec commissari-
us virtute illius retentionem beneficij concedere potuit,
Arg. cap. postulasti, de rescrip. & Fel. ibid. cum ex nihilo ni-
hil effici possit, c. Non præstat, de reg. iur. in 6.

DECISIO XLVIII.

Ex consil. 44. alias 11. de verb. signif.

Quamuis accessus, & regressus differant, ita vt de vno
ad alium inferre non liceat, eo quod habens accessum
agat de iure omnino nouo querendo, habens autem
regressum iuridicum, de iure antiquo recuperando agat,
ita